Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Siquidem huiusmodi deliciae meritis sunt non ventris, animi non corporis, spiritus non carnis, rationis
non sensualitatis, interioris non exterioris hominis. Quas ut breviter aliquomodo
describam, ipse est abundans infusio gratiae spiritualis. Beata illa anima cui
talis gratia infunditur, quae in benedictionibus dulcedinis supernae praevenitur, ut
templum dei et oraculum spiritus sancti efficiatur. Tali quippe animae deesse non possunt
divitiae salutis, sapientia et scientia, et eiusdem salutis optimus thesaurus timor
domini. Quibus deliciis cum abundaverit et repleta fuerit, exaltet iam in ecclesia
dominum et in kathedra seniorum collaudet eum. Quod in aure audivit in cu
biculis, praedicet iam super tecta, et sic affluet deliciis. Affluere enim dictum est
verbo et doctrinae insistere, et exemplo vitae lucere, opus spirituale instanter ex
ercere. Sed necesse est ut in his omnibus non suam sed auctoris sui quaerat gloriam. Ipse est
enim dilectus eius de quo scriptum est: Ego dilecto meo et dilectus meus mihi. Et de
quo pater: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Super quem innitendum est,
ut videlicet illius gratiae auxilio ascribatur opus eius a quo omnia, per quem omnia,
et ad quem omnia referuntur. Cur autem super eum inniti debeat ipse dilectus,
qui docet hominem scientiam, plenius nos doceat. Ait ille discipulis suis, quos
huiusmodi deliciis implebat: Ego sum vitis, vos palmites. Sicut palmes non
potest facere fructum nisi manserit in vite, sic et vos nisi in me manseritis.
Et iterum: Sine me, inquit, nichil potestis facere. Ac si aperte diceret: Si de
liciis vultis affluere, innitimini super me. Sed iam videamus quomodo illi
affluant et innitantur. Veniat in medium unus pro omnibus ille praedicator
egregius. Eia beatissime Paule, affluc deliciis tuis. Certe cum evangelium a
Ierusalem per circuitum et usque ad Illiricum praedicasses, cum sine sumptu
ipsum evangelium posuisses, cum caelestes thesauros fideique sacramentum grecis ac
barbaris, sapientibus et insipientibus ut prudens ac fidelis dispensator
erogasses, cum mortificationem Iesu in tuo mortali corpore circumtulisses,
item multas et mirandas virtutes tuas quas tu potuisti facere nos vix
possumus enarrare, etiam illud cum omni auctoritate sine omni arrogantia,
cum esses apostolorum tuo iudicio minimus, tamen ausus es dicere: Gratia dei in me
vacua non fuit, sed abundantius omnibus illis laboravi. Magnae et ut ita dicam
deliciosae deliciae. Sed ne illas amittas, innitere super dilectum tuum innitere.
Non autem ego, inquit, sed gratia dei mecum. Rursum affluc, quoniam ut verum fatear
delectant valde tales deliciae. Omnia possum ait. Iterum innitere: In eo